

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Atlas minor Gerardi Mercatoris**

**Mercator, Gerhard**

**Amsterodami, 1610**

Anconitana marchia

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

## Anconitana Marchia.

526

Regio unde dicta

Situs.

Soli fertilis.

Imperium majorem.

Urbes.

**M**ARCHIA vel *Marchia Anconitana* ab Langbardis nomen accepit, ab *Ancone* Emporio celeberrimo, quod sedem & domicilium dabat Marchionibus universæ regionis Dominis & Moderatoribus. *Picenum* nominatur Livio, & aliis. Conregionales Picentibus sunt ad Meridiem quidem Sabini, Vilumbri, Umbri cum Apennino Monte: ad Occidentem Galli Cisalpini cum Ifauro fluvio: qua Septentrio est, Sinus illos pulsat Adriaticus: in Orientali limite statuendo variatur. Plinius Aternum ponit amnem & Anconem: Ptol. Matrinum fl. cum Ancone. Novitii, in quis princeps Leander, Truentum signat Finitorem inter hos & Prætorianos. Ager Picens (ut cum Livio loquar) rerum omnino fertilis: fructibus tamen lignariis, quam frumentariis, præstantior. Nobilissimum Vinum ad Sivolium Opidum colligitur, quod Plinius *Anconitani Vini* celebrat nomine. Regio majore ex parte sub ditione summi est Pontificis: cujus in ea sunt *Ancona, Reccanatum, Favianum D. Mariae Laureti, Cumerinum, Favianum Fortunæ, Tolentinum, Firmum, Macerata*, & alia quædam Opida: *Eugubium, Caglium, Forum Sempronii, S. Leo, Senogallia, Urbium*, aliaque nonnulla sub aliorum sunt Principatu. Vrbs ejus primaria *Ancona, Ancon* Ptol. Hodie nomen retinet: quod impositum Vrbi ab ora ibi flexu, Cubiti formam efficiente. Opposita Promontorio Cumeri, Mari inoq; Portu clauditur a Septentrione: Portis porro, propugnaculis murisque undique munitissima, Pontificum præsertim Romanorum industria. Portum imprimis habet, qui natura arteque validus: aditu peroportunus: multarum navium capax: ab Trajano Cæsare extructus. Propugnaculis Vrbs sex superbit, quæ omnia suis tormentis bene instructa. Continua Græcorum, Illyricorum, Pannonum, imo totius Europæ mercatura præsignis, viis longissimis sed angustis, frequens habitatur. Ager suburbicarius, rerum omnium & Vini est fertilis. Sunt præterea *Firmum*, hodie *Firmo*. *Firmitianus* fuit *Cælius Lactantius*. Vrbs vetus est. *Ricinetum, Reccanoto*, vel *Reccanati*, vel *Ricanati* Italis hodie. Emporium est celeberrimum, venientibus eo bis ad Nundinas, stans anni temporibus, ex tota Europa Asiaque pleraque Mercatoribus. Stupenda *Helvia Ricina* vestigia passim in itinere per agros monstrantur, inter alia lateritium Amphitheatrum ingens in ripa fluminis Potentiæ, aliaque magnorum ædificiorum rudera. *Auximum* antiqua & Episcopalis Civitas, vulgo *Osno, Oximum* Livio. Summam loci antiquitatem testantur passim plurima nuper reperta hic Epitaphia & Elogia. *Fabrienum*, Latine scribentibus *Faberiana*: Opidum quatuor nobilissimis Italiæ Castellis ob ædificiorum splendorem connumerari solitum. Opificum Tabernis frequens: quæ ita distributæ sunt, ut Vici singuli proprias habeant uno in loco, Fabri suas, Calceolarii suas, Chartarii suas. *Senogallia* Vrbs Episcopalis. *Senam* prius appellatam fuisse patet ex Polybio & aliis. Deinde *Senogallia* cepit audire. Hodie *Sinigaglia* vel *Sinegaglia*: Opidum Cælum habet grave. Parvum ab Occasu Misa fl. adluitur: muro validum lateritio, valde crasso, vallo item & propugnaculis. Penuria laborat propter Maris vicinitatem aquarum dulcium: inportatis uti coacta. *Favianum* opidum Episcopale non magnum, in monte situm, vulgo *Fano, Favianum Fortuna* Tacito & Ptolemæo.

*Fani,*







## SPOLETINVS DVCATVS.

528

*Fani*, quod ibi Fortune sumptuosissimum olim dedicatum, adhuc magna monstrantur vestigia. Visitur ibidem Arcus ex marmore, sumtuoso nobilique opere factus, altus cubito xxx, latus xx. Fastigio, quod mirabili arte elaboratum concidit, insculptū legitur Constantino Imperatori Elogium, quod apud alios. Adluitur ab Argilla fl. *Forū Sempronii*, nunc *Fossiumbrinū*, *Fossiumbrino* Opidum Episcopale. Vestigia ibi Antiquitatis quā plurima, præter Aquæductus, Vias Silicatas, Columnas & alia. Marmora multa cernuntur disiecta cū antiquis Inscriptionibus quæ ab aliis collecta. *Pisaurum* Vrbs Episcopalis: hodie *Pesaro*. Emporium Italiae celebre, mercimonis dives, amplum, splendidum, pulchris ædificiis ornatum. *Urbinum* alto situm Monte & inæquali loco inter eosdem amnes; Vrbs est lautissima, splendideque satis ædificata, bono & fecundo agro. Illustrat eam præcipue Bibliotheca, libris optimis & multis referta. In Piceno ad latus Montis Victoris Lacus invenitur fama nobilitatus: *Nursinum* dicunt. In eo Cacodæmones innatare Vulgus imperitum dicitur: quoniam aquæ perpetuis motibus salire, & vicissim subsidere cernuntur, equidem non sine ingenti illorum admiratione, qui causam ignorant. Flumina eam rigant *Truentus*, *Tronto* vulgo: *Castellanus*, *Asonus*, *Letus mortuus*, *Tenna*, *Chientus*, *Flastra*, *Letus vivus*, *Asinus*, *Potencia*, *Muson*, *Esonus*, *Misa*, *Sontinus*, *Cesanus*, *Métaurus*, *Cantianus*, *Boasus*, *Argilla*. Inter Montes vero præter *Furcus*, *Pescas Auximus* est ab *Auximo* Vrbe, & *Corvus*, unde cū *Albula* & *Truento* multi fluunt amnes per Marrucinos, Præcutionos, Marfos. Cererum *Apenninum* mons hoc loco, ubi huic regioni imminet, editissimis jugis seipsum superat. Episcopatus hic sunt *Asculanensis*, *Firmanus*, *Camerinensis*, *Auximaniensis*, *Humaniensis*, *Anconitanus*, *Esinenis* vel *Eximis*, *Senogalsensis*, *Fanenensis*, *Pisaurensis*, *Foresempronensis*, *Calliensis*, *Urbanus*, scilicet *S. Leonis*, *Maceratensis*, *Ravennatis*.

### Spoletinus Ducatus.

**S**POLETINUS Ducatus, vulgo *Ducato di Spoleto*, ab Vrbe *Spoleto* nomen habet, quæ olim Regia fuit Ducum Langbardorum. Olim *Umbria*. Latissimos *Umbriae* fines olim habitos non obscure colligitur ex Strabone, qui Montem illi Apenninum & Hadriaticum Mare pro Limitibus assignat. Longitudinem a Ravenna Otriculum vel ab Tiberim, per viam Flaminiam alii demonstrent, quo spacio *CDIICL* stadia continentur vel, milliaria *CXXVII* & semis. Regio nunc altis asperisque quasi horret montibus, nunc collibus vestitur, qui Vini, Olei, Ficum, aliorumque Fructuum mirum quam fertiles: nunc denique amenissimas pandit planicies, nihil non frugum abunde ferentes. Vrbes Ducatus Spoletini sunt *Eugubium* ad Apennini radices positum: aditum præstante amœna pulcraque planicie. Sunt qui volunt esse, quod *Inguinum* Silio: *Iguvium*. Cice. *Tarsior* Ptol. Opidum per vetus, multis Antiquitatem suam testans hodieque vestigiis. Frequens hodie: Incolis industria summa lanariam negotiationem tractantibus. Ager Campeltris partim, partim Collinus. Frumenti iudique ferax. *Nuceria*, lateri item Apennini adhaerens: *Nuceriam* Tabulae Itinerariae, *Nocera* vulgo. *Fulgium*, *Fuligno* vernacule, sexaginta supra centum stadiis Perusia distans. *Fulgina* Silio Italico

Lacus.

Flumina.

Montes.

Regio.

Situs.

Soli qualitas.



SPOLETINVS DVCATVS.

329

Italico. *Tima* dividitur, flumine parvo & inglorio. In Foro Palatia sunt tria: in uno habitant VII *Viri Fulginate*, ad quos primum Civiles deferuntur. Controversia Magistratu fungentes bimestri: in altero Praetor, qui graviore causas diiudicat, cuius munus sex durat menses: in tertio Gubernator, cui summa potestas Pontificis nomine tribuitur. *Assisium*, ab *Assi* monte proximo dictum. *Assisium* Prol. *Assisium* Str. *Assisi* vulgo & *Sasi*; Episcopatus dignitate claret. Patria est *D. Francisci*, qui Familiae Minorum conditor: Templo ibi honestatus sumtuosissimo. Est hic Bibliotheca instructissima. *Mons Falco* opidum amoenis in collibus: Novum quidem, sed incolis frequens: quo *B. Clara*, Eremitarum Ordinis virgo, fertur ora. *Spoletum*, a quo *Ducatus Spoletini* nomen Umbriae tributum. Vulgo *Spoletto*, *Spoletinum* Str. & Pt. Sicum est inaequaliter, partim in plano, partim in colle, cui & Arx insidet munitissima, ex vetusto quondam Amphitheatro, quod hic erat, facta. Urbs hodie splendida est, & omnium rerum adfluit copia. Videre ibidem licet praeter alia magni aevi aedificia & Antiquitates residuas Theatri fundamenta, vetustissimum extra urbem Concordiae Fanum, Formas ibidem sublimes ac solidas aquaeductuum, ex Apennini collis partim excisas, partim opere lateritio ex ima valle fornicibus in altum subductis. *Ceretum* novi nominis Opidum, sed frequens: a quo *Ceretani* vocantur Errones, qui nunc per universam Italiam discurrentes sanctitatis religionisque pretextu variis artibus emungere stipem consueverunt. *Pons Castellanus*, *Ponte Castello*: ab *Ceretanis* conditum. Eo ortus Ioannes Pontanus, Vir magni nominis & omni doctrinarum genere praestantissimus. *Comissa* novi nominis Opidum, montoso situ, frequens admodum. *Interamna* Str. *Interamna* Antonino: *Interamnium* Itinerariae Tabulae: vulgo *Terni* vel *Terni*. Rebus omnibus ad vitam necessariis abundat: Incolis frequens. Agro insignis ab fl. est fertilitas. Vinum notae optima: *Vernaccia*. *Tuder* vetusta Civitas in colle ameno sita, Ficus, Oleis, Vitibus, aliisque fructiferis arboribus ornato, Lacus habet *Floridum*, *Velinum*, *Cutubensem*. Montes autem praeter *Inginium*, cuius meminit Strabo, *Engubinum*, *Floridum* & alios: sunt, qui *Corniculi* Hali. Latinis forte *Corniculi*: videtur *Zonaras Carnitas* vocare. *Crusinensis* Montes ibidem, ex quibus *Allia* fl. praeter alveo defluit. *Fiscellus* Iugum illud Apennini Plinio dicitur, unde duobus erumpit fontibus *Nar. fl.* hodie *Monte Fiscello*. Sequitur inde pars Apennini, que *Mons Victor*, ubi Apenninus supra Castellum Arquatam altissimis cacuminibus effertur, ut adeo seipsum celsitudine videatur superare, id est, ut adhaerentia circumquaque juga cetera, quamquam editissima, longe vincat: ideoque ex re nomen huic Culmini datum *Mons Victor*. Incolae reliquis Italiae populis sunt bellicosiores. *Ariminensis* Episcopatus subest *Ravennaten*si Archiepiscopatu. Episcopatus in Ducatu Spoletino, sunt, *Assisinas*, *Fulginas*, *Nucerinus*, *Engubinus*, *Spoletinus*, *Tuderinus*, *Amelensis*, *Narniensis*, *Interamensis*.

Lacus.  
Montes.

X x x

OFFERT